

planta vel animal et a quo ea, quae secundum formam dicitur, natura eiusdem formae, scilicet in omni enim generatione oportet esse ὁμοειδῆ eiusdem formae genitum cum generante. Sic enim libro quoque primo capite 5. De generatione scripsit:<sup>29</sup> *Generatur ergo simpliciter aliud ex alio, sicuti etiam in aliis determinatum est et ab aliquo actu existente vel eiusdem speciei vel eiusdem generis.* Hoc autem ὁμοειδές eiusdem scilicet speciei et in alio quam in genito: αὕτη δ' ἐν ἄλλω<sup>x</sup> *Ipsa vero in alio, inquit 7. capite.*

Coëat vir cum muliere, proiicitur semen in uterum, mulier concipit, in eo semine uteri calore foro inest virtus formativa foetus, ea virtus natura dicitur, haec habet in se rationem, qua formet cor, cerebrum et hepar principio omnium, ut experientia docuit nos Hippocrates libro De foetus natura. Haec formantur: primo augescunt, distinguuntur partibus ac locis, unumquodque<sup>xi</sup> suis, sic reliquas procedente tempore format, auget ac distinguit partes idque non ita, ut aliud alio tempore formet, sed omnia eodem tempore.

Hanc rationem membra omnia formandi, quid prohibet, rationem seminariam vocare ac naturam? An haec causa ea omnia operatur aut potius, quod Aristoteles millies asserit, nihil frustra facit ac omnia ad certos ac terminatos fines dirigit? Si hoc in particulari hac seminis huius natura conspiciamus, nonne in omnibus quoque seminibus humanis ea inerit, ex quibus eadem ordine perpetuo evenire videmus, si in humanis, cur non in caeterorum animalium seminibus ac plantarum omnium ac omnium denique, quae semper eodem modo, vel ut plurimum et generantur et augentur et formantur? Propterea quod Philoponus ac Simplicius Aristotelis amici rationem hanc in natura universali agnoscunt, quam si Aristoteles nobis explicasset, [329] ut ne verbum quidem de ea fecit, multa sane eius interpretum ambages sustulisset.

<sup>29</sup> γίνεται μὲν οὖν ἀπλῶς ἕτερον ἐξ ἑτέρου, ὥσπερ καὶ ἐν ἄλλοις διώρισται, καὶ ὑπό τινος δὲ ἐντελεχείᾳ ὄντος, ἢ ὁμοιοειδοῦς ἢ ὁμογενοῦς, οἷον πῦρ ὑπὸ πυρὸς ἢ ἄνθρωπος ὑπ' ἀνθρώπου. [ARIST. G C 320b.17 – 20]

<sup>x</sup> Usp. ARIST. Metaph. 1032a.25.

<sup>xi</sup> Corr. ex unumquoque